

Dum hæc in Taurisinis aguntur, Veneti, quinquaginta parvis navigiis pulchre instructis, quarta vigilia noctis ad hostium præsidium opprimendum ire pergunt. Erat circa fossam, quam Carrarius tumultuario opere haud longe ab Albano foderat, triremis una, cui Bartholomæus Uzerius Savonicus cum duobus aliis navigiis præerat, qui ad eorum qui citro ultroque navigabant, præsidium venerat. Hanc Venetus subito adortus, momento temporis hostem magis tumultuantem, quam arma expedientem opprimit. Capitur triremis a sagittariis Venetis; qui in alterum fossæ noviter ductæ latus expositi, ex superiore parte in illam littori hærentem impetum fecere. Captam igitur ac direptam (quia refluxu aquarum agi non poterat) incendio Venetus absumpsit. Reliquas naves cum centum quinquaginta captivis hostibus Venetias advexere, in quibus Uzerius ipse est ductus. Ingentem lætitiā ea victoria attulit civitati, atque eo majorem, quo præsens successus in spem melioris fortunæ civium animos assiduīs cladibus prostratos erexit. Etenim his gestis, cæptæ sunt passim jactari voces indignantium: tam desidem factam civitatem, tam timidam, ut in apertam cum hoste dimicationem exire non auderet: degenerare Venetos ab illa suorum majorum virtute, qui totiens vel minori navium numero Ligurem vicissent. Quid quod paucis ante mensibus nullus erat toto sinu locus, in quo Venetorum metu se Ligur tutum existimaret: nunc fractos jacere vividos illos civitatis spiritus, non patriæ, non libertatis, non suarum fortunarum memores. Stultum, dicere, immo miserum, expectare, ut, consumpta rerum omnium copia, fame magis quam ferro domiti deditionem facere turpiter cogerentur. Irent Patres, & classē quam maximam possent, decernerent: paratos esse cives aut vincere, si hosti objiciantur, aut si minus id possint, mortem pro libertate occumbere. Hujusmodi voces ad Patres delatæ effecerunt, ut continuo ad res majores gerendas animum erexerint. Fit itaque Senatusconsultum, ut primo quoque tempore triremes quadraginta ad bellum instruerentur,

1379

*Veneti cum
successu pug-
nantes in
spem melio-
ris fortunæ
eriguntur.*